

AUSPICE DEO!

DELINEATIONEM SUCCINCTAM,

ALTARIS EXTE-  
RIORIS TEMPLI  
SECUNDI,

Indultu Amplissimæ FACULT. PHIL.

*In inelytâ Regiâ Academia Aboënsi,*

Sub PRÆSIDIO

*Admodum Reverendi, Amplissimiq; Viri,*

DN. M. ISAACI

BJSEMANNI

Lingv. Hebr. & Græc. Profess. Publici,  
Fac. Phil. h. t. Decani spectabilis, Præce-  
ptoris ac Promotoris sui omni obser-  
vantia ætatem colendi.

*Pro Gradu Magisterii,*

Ad publicum recte judicantium examen  
modestè defert

JOHANNES SALMENIUS,

*In Auc. Max. ad 9 Junii, A. 1700.*

---

Exc. Jo. Wallius.

*Plurimum nec non perquam Reverendis, Clarissimis, Reverendis & Doctissimis Viris,*

**DN. JOHANNI CAJANO,**  
Præposito & Pastori in Vaidamo/  
gravissimo, optimèque merito,  
Patrono summo animi cultu de-  
venerando.

**DN. M. ANDREÆ BERGIO,**  
Præposito & Pastori in Tõssala me-  
ritissimo, Consanguineo maxime co-  
lenda.

**DN. ERICO LETHALENSI,**  
Pastori in Nousis dignissimo, Fautori  
multis nominibus suspiciendo.

**DN. PETRO SALMENIO,**  
Sacellano in Rârimâki fidelissimo,  
Patruo multum honorando.

*Gradualem hanc Disputationem in per-  
petua observantia signum of-  
fert dicatque*

Jo. Salmenius.

§. I.

**D**EUS exulceratas priscorum  
 fidelium mentes solatio ere-  
 cturus, præter sanctissimum  
 suum verbum, etiam ritus,  
 tanquam symbola certissima, adventum  
 ipsius Messiae præfigurantia, sancivit; qui  
 quidē si probè teneantur, & ad Christum,  
 qui eorum veritas atq; complementum  
 est, recte referantur, haud scio, an aliud  
 quidpiam mentem magis inexhaustos  
 πολυποικίλης DEI sapientiæ thesauros edo-  
 cere, & vivo ejus sensu perfundere ido-  
 neum sit. Tam veri isti typi sunt, tam  
 convenientes, tam luculenti, tam *θεοπρε-  
 πείς* & Majestatis pleni, ut ii vel maxime,  
 in mirabilibus legis DEI comprehendan-  
 tur. Multi sanè apud Hebræos ritus sacri  
 fuerunt, verum præcipuum sibi inter eos  
 locum vendicaverunt oblationes, quæ in  
 locis sacris peragi siveverunt. Primum  
 quidem in editis montium jugis, post,  
 progressu temporis, etiam in tumulis  
 ex lapidibus congestis, quorum usus  
 duravit ad tempora ipsius Mosis, qui

ex oraculo divino edoctus, aram in aliam formam refinxit, duplicemque constituit, eam scilicet, quæ in tabernaculo ante arcam stetit, aliam, quæ holocausti dicebatur, ante faciem tabernaculi. Hæc quomodo una cum Domo DEI Hierosolymam translata sit, & quamdiu facta tectaque permanferit, priusquam quidquam de altari holocausti Templi Secundi dixerimus, paucis edisseremus. Ante omnia tamen nonnulla notionem ipsius vocis, seu varios variorum derivandi modos, concernentia, præmittere animus est, ut hac ratione, desiderio eruditorum quoadantenus satisfecisse videamur.

*Quidam vocem altaris ab altitudine volunt dictam, ut Auctor est Pompejus Festus: Altaria ab altitudine dicta sunt, quod antiqui Diis superis in aedificiis à terra exaltatis sacra faciebant, Diis terrestribus in terræ Diis infernalibus in effossa terra. Cui pollicem premit Isid. lib. 15. Orig. c. 4. Qui, altare autem, inquit, ab altitudine constat esse nominatum, quasi alta ara. Sed & aram ipse quoque Isid. exponit his verbis Aram, quidem vocatam, dixerunt, quod incense ibi vitimæ ardeant. Nonnulli deducunt à voce*

Græca ἀρά, quæ precationem significat. Sed & Varro lib. 5. Divin. aras primum aras dictas putavit, quod esset necessarium à Sacrificantibus teneri. Quam sententiam sequutus Macrobius Virgiliti auctoritate comprobavit. Has latini sermonis notiones, B. L. Si singulas altari nostro convenire dixeris, non equidem refragabimur. Nos vero ulterius in ipso fonte natales hujus vocis inquisituri, nomen מִזְבֵּחַ Exod: 20 v. 24. comparere videmus hoc à Rad: זָבַח quod mactare, immolare, sacrificare, significat, inde מִזְבֵּחַ Altare significans, quod in eo sacrificetur. Haud dissimili plane agnominacione, qua Græcis ἱεράσιον dicitur, quasi locus sacrificii, quod ἱερά sacrificium, hostiam, cæremoniam, vel rem sacram significet. Hanc vero Hebraicam & Græcam altaris notionem, ad altare holocaustorum proprie spectare confirmant verba dicti modo citati. *Altare terreum facito mihi, ut sacrifices super ipsam, holocaustum, eucharisteria tua, greges tuos, armenta tua, quocunque in loco jubeo celebrari memoriam nominis mei, Et veniens ad te benedicam tibi.*

## §. II.

Cum Israëlitaë res suas nondum scele-  
 ribus prostravissent, DEUS de salute  
 illorum sollicitus, post larum Decalo-  
 gum, legem de extruendis aris dicta-  
 vit, ne scilicet temerè ubicunqve loco-  
 rum pro libitu easdem erigerent; sed  
 ubi modo eximio nomen suum com-  
 memorari juberet & evidentia gratiæ  
 suæ signa deponeret. Hinc tanto magis  
 sapientiam DEI venerari licet, quod lo-  
 ca sacra, id est terrestria Sanctitatis do-  
 micilia, sibi eligere voluerit. A princi-  
 pio enim DEUS tabernaculum, atqve in  
 eo Sanctum Sanctorum, Arcam & Al-  
 taria instituit, sedemqve ei, ex manda-  
 to divino, Josua, devictis hostibus, Silun-  
 te adsignavit, ubi totus populus conve-  
 niret, divinæ præsentiaë Symbolum ve-  
 reri, & benedictionem expectare de-  
 beret, unde illa sunt in illius histo-  
 ria. Cap. 18. v. 1. *Congregati autem sunt,*  
*totus cæterus filiorum Israël Siluntem, collo-*  
*caveruntqve ibi tentorium conventus & Jud:*  
*21. v. 19. Ecce festum Jehova est Silunte, de*

anno in annum; quod celebratur ab aquilone  
 Domus DEI fortis, versus ortum solis, ad  
 tritam viam, quæ ascendit à domo Schece-  
 mum, & à meridie Lebonæ. Inde DEUS re-  
 jecta Silo, delegit Hierusalem & mon-  
 tem Sion, eoqve domum suam trans-  
 ferri cum Rep: voluit, ac demum Silo  
 quoque evertit. Sic enim loquitur Jer.  
 7. v. 12. Nam ite jam in locum meum, qui  
 erat Schilunte, ubi feceram ut habitaret no-  
 men meum primum, & videte id quod feci ei  
 propter malitiam populi mei Israëlis. Elegit  
 autem Hierusalem tempore Davidis  
 Regis, qui, exterminatis Jebusæis, lo-  
 cum istum consecravit, quando ara ex-  
 citata & sacrificiis oblati iram DEI,  
 quam populi dinumeratione civerat, ibi  
 placavit. Templum suffragante Pro-  
 pheta Nathan, eodem loco, in altero  
 nimirum colle Sionis, Moria vocato,  
 condidisset; nisi DEUS per eundem  
 Prophetam inhibitum, hanc gloriam fi-  
 lio Salomoni relinquere jussisset, qui re-  
 gnum adeptus opus perfecit, atqve in  
 ejus præsidium arcem in tertio ejus-  
 dem

dem montis colle construxit, teste Josepho V Belli & VII Antiquitatum. Ut autem post fata Davidis & Salomonis, vera pietas atque gratitudo populi erga DEUM refrigerare cœpit, ita tandem Judæi injustissimi in DEUM ejusque cultum extiterunt; Quare nec meliorem experti sunt sortem, quam quæ ipsis contigit sub imperio Joacim, qui Prophetam Jeremiam de septuaginta captivitatum annis concionantem in carcerem compegit. Hunc Nabuchodonosor Rex Babylonis, tributarium sibi fecit: tumque Daniel cum Sociis in Babylonem est abductus; Sed cum Joacim post triennium rebellaret, venit Nebuchodonosor, eum captum, & interfectum, jussit projici inter cadavera. Inde Rex constitutus, patre non melior, Jochim seu Jeconia, qui post tres menses Regi Babylonico, urbem obsidenti, se dedit: sicque tribus Juda in captivitatem devenit. Unde cum Rex Babylonicus in locum Regis Jechoniæ captivi, substituisset patruelem ejus Zedechi.



chlam: malum fecit coram Domino,  
 Captivis insultavit, & à Rege Babylo-  
 nico perfidè defecit, cujus immanem per-  
 fidiam ulturus, urbem obsedit, oblesam  
 evertit atque una cum templo succen-  
 dit. Filii autem captivitatis indulgente  
 Cyro, primo Monarcha Persico, Baby-  
 lone remeantes, Duce Zorobabele, tem-  
 plum in locum Salomonæi reædificare  
 auspicati sunt, cujus tamen constructi-  
 onem successor ejus Artaxerxes seu  
 Cambyfes prohibuit. Post regnante Da-  
 rio Hystaspis filio, Aggæus Propheta  
 jussit, inscio Rege, in suscepto opere  
 progredi; Unde cum Samaritani, Regis  
 Persiæ Præfecti, illud prohibere vellent,  
 Rex clementissime rescripsit, & templi  
 restitutionem concessit, ejusque regni  
 anno sexto ædificium completum est.

S. III.

**E**xigit instituti ratio, ut delineationem  
 Altaris exterioris Templi Secundi,  
 sive Zorobabelici jam jam adgrediamur;  
 Cujus situm S. Greg: Hom: 22. in Ezech:

B

ita

ita expressit. *Altare ergo, inquit, ante faciem Templi est; cum multi in Sanctæ Ecclesiæ conspectu sunt propositi, qui æterni iudicii memores, semet ipsos quotidie DEO Sacrificium in lamento compunctionis mactant &c.* Unde etiam Exod. 27 & 30 differentiam inter altare holocausti atque altare aureum ostensurus, ita inquit. *In tabernaculo, per legem dico, alteria fieri jubentur: Unum videlicet exterius, aliud vero interius, unum in atrio, aliud ante arcam, unum quod ære coopertum est, aliud quod auro vestitum. Atque in altari aneo cremantur carnes, in altari vero aureo incenduntur aromata.* Hæc Josephus quoque Historicus eadem confirmat, additis quibusdam, ad hujus loci intelligentiam non parum conducen-  
 tibus, quæ Græcè quoque referre operæ pretium fuerit. *Τὸ δὲ θυσιαστήριον, τὸ χάλκεον ἴσησι πρὸ τῆς ναῦ ἀντικρὺ τῆς θύρας ἀνοιχθείσης, αὐτὸ κατὰ πρῶτον εἶναι καὶ βλέπειν τὰς ἱερουργίας, καὶ τὴν τῶν θυσιῶν πολυτέλειαν.* hoc est *Altare autem aneum stavit ante templum contra januam, ut ea aperta, ipsum esset in conspectu & sacra ministeria*  
 cer-

cernerentur, & sacrificiorum magnificentia. Joseph: hic non loquitur de porta templi quæ erat intra vestibulum, è templo namque nullus spectare poterat sacrificia, nisi forte rerum divinarum tam ignarus fuisse credatur Joseph; ut DEUM putarit non nisi apertis foribus Sacrificia conspexisse. Dicamus igitur quod res est, Joseph: de portis atrii interioris loquutum ac Hebræam phrasin in Græcum induxisse sermonem, quæ singularis plerumque pro plurali usurpatur, vel Distributive; ita ut sensus sit. Altare constitutum fuisse è regione trium portarum atrii interioris, quia nimirum erat in medio atrio, ita ut aperta qualibet porta, orientali, meridionali, Aquilonari, ipsum altare conspiceretur à populo in tribus areis atrii exterioris existente. Sed ut his, quæ jam allata sunt, majorem sceneremur lucem, dicamus, in aream Sacri hujus soli pergentibus, per portas ingrediendum fuisse, quæ deinde introitum pandebant, primo in porticus, de hinc in atria, inde pro-

propylæum, porro in Sanctum, denique in Sanctum Sanctorum. Ex atrio autem gentium, tres præcipuè erant portæ ducentes in atrium mulierum, huic proximum erat atrium virorum seu Israël, dehinc atrium Sacerdotum habens undecim cubitos longitudinis ab oriente ad occidentem usque ad altare, ubi soli sacerdotes versabantur, nisi quod certis casibus, ut in *χεροθεσία*, expiatione Tenupha &c. aliis quoque aditus eo concederetur. Inde altare erat quæquæ versum triginta duorum cubitorum. Porro inter altare & Pronaon erant viginti duo cubiti ubi occisus Zacharias Math: 23. v. 35. Pronaon autem quod fuit ante fanum, seu Sanctum, erat magnificentissimum frontispicium Templi, Templo ipso latius & altius, quod curiosè descripsit Leo lib. 2. cap. 21.

#### §. IV.

**A**ltare nostrum è lapidibus constitit totum quantum fuit, sic Philo de vita Mosis 3. *Ὁ μὲν γὰρ ἐκ λίθων λογάδων ἀπλή-*

των ἠνοδοῦνται Illud ex lapidibus selectis, sed  
 impolitis tamen structum est, & Hecataeus  
 apud Joseph: Ἐν ᾧ ἑωμὸς ἐστὶ περὶ γωνῶν  
 ἕκ τμητῶν ἀλλ' ἐκ τῶν ἀργῶν λίθων ἕται συ-  
 κείμενος. In quo est altare quadratum, non ex  
 selectibus, sed ex rudibus lapidibus fortuito con-  
 gestum. Quamvis nec desint illi, qui Ju-  
 daeos, quod altare lapideum Sacrarunt,  
 violatae legis accusent, praesertim Cl:  
 Ictus Petrus Cunæus lib. 2. de rep. E.  
 c. 5. Refelli tamen illi, atq; intontes pro-  
 nuntiari possunt Judæi vi effati divini  
 Exod: 20. v. 25. Quod si altare ex lapidibus  
 facies mihi, ne extruito ex eis caesis &c.  
 huic enim legi homines Sanctissimi, i-  
 mo θεόπνευστοι tum obsecuti sunt, cum in  
 patriam redierunt. Jesua Pontifex, &  
 omnes quos templum Secundum habuit  
 homines, ob mandatum istud aram su-  
 am lapideam instituerunt. Lapidem au-  
 tem qui altare constituerent, impolitos  
 voluit DEUS, imo ferrum super eos com-  
 movere vetat: Ne extruito ex lapidibus cae-  
 sis; nam quam primum caelum tuum extuler-  
 vis super ipsos, profanaveris ipsos. Atq; id  
 ius-

iustum Judæos tam sollicitos habet, ut  
 quoties ferè altaris lapides dicunt, 10-  
 ties integros esse moneant, ex Deut: 27.  
 v. 6. Hæc Judæorum ἀκεῖα etiam Jo-  
 sepho fuit notata, ita enim ille Lib. 5.  
 Cap. 14. aut 7. Cap. 8. κατασκευάσθη δ' ἄ-  
 νευ σιδήρου καὶ ἰδέσθαι ἔψαυσεν αὐτῶ σιδήρος.  
*Sine ferro autem constructa est, neque eam  
 ferrum unquam tetigit.* Rationes cur DEUS  
 lapides affabre factos prohibuerit, Ju-  
 dæi plurimos quidem dare solent, sed  
 quos, brevitati litantes, hac vice recen-  
 sere superfedemus, causamque hanc ad-  
 dimus, voluisse nimirum DEUM aram  
 suam inveniuntam, & ut Junius loquitur  
 abjectam, ut Messiam nostrum eo cla-  
 rius referret, *cui neque forma, neque decor,  
 & quando intuemur eum, non est species, cui  
 desideremus eum,* Esa: 53. v. 2. An potius  
 eo notatur altare hoc nostrum esse la-  
 pidem in Sione à DEO fundatum Esa: 28.  
 v. 16. & præcisum sine manibus Dan: 2.  
 v. 45. Cui in redemptione & meritis ho-  
 mo, neque complementum, imo nec ul-  
 lum opus afferre possit.

**A**ra non fuit moles continua, & ubiq̄  
 æqualis, sed partes distinctas quat-  
 vor habuit, primo fundamentum, se-  
 cundò Cingulum, *Circuitum*, tertio lo-  
 cum Pyræ vel corpus in cuius vertice  
 focus est, quartò Cornua quatuor. Hæ  
 partes sibi mutuo impositæ, aram con-  
 stituerunt. Fundamentum quod totam  
 molem tulit, inter omnes partes, erat  
 amplitudinis maximæ, sed altitudinis  
 minimæ, latitudine enim sua cubitos  
 triginta duos, & longitudine comple-  
 tebatur, unum vero altitudine. Ad an-  
 gulum ejus ab occasu brumali situm,  
 erant duo foramina, quæ veluti nares  
 in animantibus coiverunt, & sanguinem  
 suum in fossa aquæ confuderunt, qui a-  
 quâ mixtus, inde in vallem Kidron di-  
 labebatur, ab hortulanis, ut lætamine i-  
 sto hortos suos imbuerere possint, pretio  
 redimendus. Huic incumbebat Cingu-  
 lum, fundamentum unum cubitum ad  
 singula latera contractius sed multo al-  
 octo,

tius. Nam latitudine sua cubitos viginti octo, & totidem longitudine æquabat, sed altitudine quinque in circuitu, ad circumferentiam hanc secundam erat filum coccineum, quod altare cingebat, ut distingveret inter sanguines superiorum & inferiorum asperfusionum. Midd: Cap. 3. §. 1. Leo §. 64. Hoc excipiebat locus foci, Cingulo per omnia minor, utpote cubitos viginti quatuor longus latusq; & tres altus. Huic demum infidebant quatuor cornua, quorum quodlibet tum altitudine cubitali erat. Hæc confirmari possunt è Midd. C. 3. §. 1. *Altare fuit quoquaversum triginta cubitorum. Ascendebat quinque cubitis, & coarctabatur in cubitum, qui est circuitus. Deprehendebatur esse viginti octo cubitorum quaquaversum. Locus cornuum ab omni parte unius cubiti, adeo ut quaquaversum remanerent viginti sex cubiti. Locus ambulationis sacerdotum, hinc inde unius cubiti, ita ut pateret circumquaque cubitorum vigintus quatuor locus pyræ.*



Circa altare observasse etiam non pigebit, primo labrum æneum inter Pronaon & altare, cum duodecim epistomiis, unde Sacerdotes manus & pedes lavabant. Secundo ad septentrionem sex ordines quaternorum annulorum ( ut omnino essent viginti quatuor annulis terræ impacti, ut funibus, per eos traductis, victimas mactandas, ad terram traherent ) juxta quos erectæ erant columnæ humiles, quibus incubuerunt, trabes cedrinæ quadratæ, his erant infixi unci ferrei, & quidem Singulis tres ordines, quorum unus altero, & hic tertio altior fuit, ut victimæ magnæ, mediæ & parvæ de iis comode suspendi & pelle nudari possent. Inter columnas erant mensæ marmoreæ octo, in quibus intestina victimarum, ter minimum abluabantur, quæ postmodum exurenda, in altare ab austro per pontem paulatim acclivem, deferebantur; vetuerat enim DEUS Sacerdotes in aram gradi, per scalas, quoniam qui  
has

has scandit, crura nimium divaricat, & super iis verenda sua revelat, quod si ad aram fieret, cum maxima ejus ignominia conjunctum foret Exod: 20. v. 26. *Neque ascendito per gradus altare meum, ut non detegantur pudenda tua.* Hebræi igitur ut DEI præscripto obsequerentur & Sacerdotibus, eum in aram aditum præberent, qui cum *εὐλαβεία*, & verecundia, quam Sacris debemus, conveniret, non scalas, non gradus, sed pontem, collem æquum, planum & acclivem fecerunt, qui sensim sacerdotem in altare tollerent.

SOLI DEO GLORIA!



Ad VIRUM JUVENEM

*Philosophiae CANDIDATUM meritissimum  
& Clarissimum,*

DN. JOHANNEM SALMENIUM,  
Quando conscriptam suam PRO GRADU  
MAGISTERII Disputationem,  
defenderet.

**E**st, Clarissime DN. CANDIDATE, quam-  
obrem ex hac occasione, & gaudium meum,  
& certâ etiam ratione, ruborem & dolorem  
exprimere possim. Illud, quia labores tuos, o-  
mnesque lucubrationes ad optatissimam jam fe-  
licissime perduxisti metam, nec non illud ascen-  
disti ingenii fastigium, quo omnibus, etiam  
prono pectore certantibus, pervenire non con-  
tingit. Hunc autem, quia lubenti, piâ jam  
apud te gratulatione adesse, ipsum affectum  
verba quasi invita sequuntur, vel potius tan-  
quam omni modo se subducentia fallunt. Ni-  
hilominus tamen, hoc quasi neglecto, prius ne-  
scio quomodo contestari possum. Ab eo enim  
tempore, quo, ad familiaritatem tuam me ad-  
misisti, Sic notam fecisti tuam virtutem, Sic  
candorem animi tui mihi comprobasti, Sic o-  
dium

diuum in fallaciam detexisti, ut mirum non sit,  
me totum, ceu in multis debitorem, tibi esse  
adstrictum. Itaque rogo, indefessu tua Stu-  
dia, maturitate jam pregnantia, optatam  
breui sentiant messem, latosque omnium tuo-  
rum applausu, reportent manipulos; quod eti-  
am omnis virtutis retributorem Spero factu-  
rum.

Clarissimo Domino Candidato

ad quevis officia paratissimus

ISRAEL J. STECKSENIUS.

WestroBothniensis.

---

Eidem.

**N**on frustra dixisse quendam: Virtutem  
scilicet Comitari Honores, egregio tuo  
monstras documento, Clarissime Dn: Can-  
didate. Assiduus enim virtutis cultor & se-  
ctator perpetuo exististi, eam amasti, eamque  
instar pretiosissimi thesauri pre aliis rebus  
maximi fecisti. Itaque accurrunt Musæ tripu-  
diantes, summa te excipient lætitia, in culmen  
honoris deducture ibique tempora propediem  
lauro circumdatura, Ceu vobes.

LAUR: L. WILSTADIUS.

